



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 19. Seditio in Imperatorem Anastasium movetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

**Sæculum VI.** Etus est Hormisdas Diaconus Justi Filius  
A. C. 514. Frusinone in Campania natus, qui S. Se-  
 dem annis novem tenuit.

## §. XIX.

*Seditio in Imperatorem Anastasium  
 movetur.*

*p. 1421. to. 4.* **A**nastasius Imperator, ut motus in fini-  
*Conc.* bus Scythiæ exortos componeret,  
*Theoph.* Hormisdæ Papæ auxilium expetiit; nem-  
*p. 134.* pe cum Vitalianus ad arma prorupisset,  
 contra Imperatorem Anastasium concitatus a Catholicis, impatientissime ferentibus, quod atrociter illos persequeretur, qui cum Timotheo Patriarcha communicare recusabant. Cum Abbas in Monasterio Dei mortuus esset, illo Timotheus se contulit, ordinaturus Defuncti Successorem; Is vero dixit, non passurum se ordinari a Viro, qui Concilium Calcedonense anathematizaret. Respondit ei Timotheus: *Quisquis Concilium*

in seinen Chinesischen Merkwürdigkeiten (dieses Büchel Chinesische Merkwürdigkeiten ist bey Berlesger dieß auch zu haben.) herausgegeben 1758. hat über den Herrn Johann Mosheim und den Uebersetzer der Chinesischen Beschreibung R. P. du Halde aus dem Französischen 1748. eben solche Klagen, als ich über den Uebersetzer des Fleury. So machen sie es.

*cilium Calcedonense rejicit, Anathema sit!* Sæculum VI.  
his, ipsius manibus ordinatus est Abbas. A. C. 514.

Tunc Archidiaconus Joannes, qui erat Manichæus, cœpit Timotheo convicia ingerere, festinavitque, id nunciare Imperatori. Anastasius, accersito Timotheo, cum ipso jurgari, quod Concilium laudaret; Timotheus factum negavit, atque edicere ausus est; *Quicumque Calcedonense Concilium recipit, Anathema sit!*

Sexta Nov. anno 511. cum Constantinopolitani inter publicas preces procederent, in memoriam illius diei, qua cœlis de cœlo lapsus toti Regioni olim perniciem attulerat, jubente Anastasio Imperatore Plato Civitatis Constantinopolitanæ Præfectus & quidam alii Magistratus in Ecclesia S. Theodori Spharacii suggestum conscenderunt, cantaruntque *Trisagion* cum addito: *Crucifixus pro nobis.* Populus indignatus omissis precibus fugit. Multi *Trisagion* sine addito & more solito cantare perseverarunt; hinc multi Catholicorum in Ecclesia interempti, multi carceri dati. Eodem tempore Timotheus Patriarcha ad omnes Ecclesias litteras misit jubens, ut in publicis precibus procedentes *Trisagion* cum addito cantarent. Aliqui cogente timore obtemperarunt, at Monachi sine addito cantabant, quod cum Populus

*Marcell. an.*  
512. *Theoph.*  
p. 136. *Evag.*  
III. *hist.*  
c. ult.

Seditio Constantinopoli.

R 5 audi-

Sæculum VI. A.C. 514. audiret clamabat: *Salvete orthodoxi*

*Vivi!* inde magna Seditio commota, Populus in forum procurrit, & parte una ibi manente, atque diu noctuque *Trisagion* ingeminante, pars alia per urbem cursitabat, Monachos illos, qui Imperatori assentabantur interfectori. Cum præter alios quemdam in Domo Marini Syri reperissent, Caput ipsius amputarunt, & perticæ impositum detulerunt clamantes: *Ecce Trinitatis hostem!* is enim Additionis blasphemæ Auctor credebatur. Multæ aliæ cædes commissæ, multorum ædes incensæ. Præter alias etiam Marini, & Pompeji Domus flammis absumptæ. Claves Civitatis & Signa Militaria in forum, ubi Catholici quasi castra posuerant, illata, Imagines, & Statuæ Anastasii in terram dejectæ a clamantibus, alium eligendum Imperatorem, & poscentibus Vitalianum Militiæ Magistrum Patricioli filium, Aspari Nepotem. Alii ad Julianæ Genus respicientes Areobindum ejus Conjugem Imperatorem expetebant.

*Sup. XXIX*  
*n. 29. Chr.*  
*Pasch. an.*  
*512. p. 530.*  
*Marcell.*  
*Chro. an. eod.*

Celerum, & Patricium ad compe-  
scendum tumultum missos seditiosi emis-  
so lapidum grandine arcuerunt. Fu-  
giens Imperator, in Suburbio, quod Bla-  
chernas appellabant, latuit, Imperatrice  
Arianna conjugem strenue objurgante,  
quod tot malorum causa Christianis esset.  
Tandem

Tandem ut furentem populum deliniret, & misericordiam moveret, abjecta corona in Hippodromum processit. Multi usque ad ejus suggestum accesserunt cantantes *Trisagion*, offerentes ei Crucem, & Evangelium, simulque postulantes, ut Marinus, & Plato neci darentur. Anastasius per Præcones edici jubet, Imperium se abdicaturum, sed Regnum utique plures quam unum non capere, & unum solum sibi posse succedere. Magna deinde pollicitus est, & fidem se servaturum juravit. Populus repente, & quasi prodigio, mutatus, rogavit, ut coronam resumeret, & nihil ultra se moturum promisit. Hoc modo Seditio post triduum, ex quo concurrente in forum populo orta erat, remisit, singulis domum remeantibus. Ceterum nihil populo profuit illa commotio, nam Anastasius nihil eorum, quæ promiserat, præstitit.

## §. XX.

*Severus Patriarcha Antiochenus.*

Interim memori mente reposuerat Anastasius, Flavianum Antiochenum, & Eliam Jerosolymitanum obstitisse, quominus, quæ ipse optabat, in Concilio Sidoniensi procederent, & Sede sua eijcere utrumque decreverat. Primo aggressus est Flavianum. Monachi Duce Xenaja ex Regione, quæ Cynegica dicebatur,

Sæculum VI.  
A. C. 514.

*Evagr. III.*  
c. ult.

*Sup. n. 12.*  
*Evagr. III.*  
c. 32.